



Fig. 43.

ex una parte secundum totam suam longitudinem fulcatis sive crenam habentibus, intra duas hasce crenas oppositas adaptavimus duos asserculos E F C & G H D arietinos ejus spissitudinis, quæ intra prædictas crenas facillimè admittatur ac ultrò citroque moveatur, etiam tum cum aëris humorem plurimum imbibit porosioris hujus ligni substantia. Hos asserculos, satis jam ficos, dictis crenis decenter inseruimus, alterumque in A & C, alterum in B ac D, subscudium scilicet extremitatibus, totidem clavis defiximus, totâ reliquâ ipsorum latitudine usque ad E F & G H, intra memoratos sulcos liberè versante, ut porro extendi retroque contrahi sine impedimento posset, ac interstitio circiter digitali inter E F & G H remanente. Circa mediam verò harum extremitatum longitudinem in uno asserculorum laminam orichalceam clavo defiximus in I, inde ultra interstitium medium aliquousque supra alterum asserculum, quem leviter attingebat, exporrectam & ad K denticulis quibusdam instructam; in hoc altero verò asserculo rotulam L pariter dentatam ac circa axiculum centrale facile volubilem ita locavimus, ut suis denticulis illis laminæ I K mutuùm implicata, ab hac retrò porrove ducta in orbem necessario conver-